



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118650**

§. 11. Navarræ Regis, Condæi Principis, & Montmorentii Ducis scriptum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](#)

„sæ justæ confisus, cuius defensorem **Sæcul. XVI.**  
 „Deum spero, me animis, & viribus **A.C. 1585.**  
 „adversus meos, & Regis, regnique  
 „hostes muniam.,,

## §. XI.

*Navarræ Regis, Condæi Principis,  
 & Montmorentii Ducis scri-  
 ptum.*

**R**ebus jamjam plane confectis tardius *Thuan. &c.*  
 hæ literæ advenerant: unde Na- *Spond. l.c.*  
 varræ Rex paſtis jam postremam ma- *David. ib.*  
 num esse admotam comperiens, cum *Mem. pag.*  
**292.**  
 Condæo Principe conjurabat, atque ad  
 sua etiam studia Henricum Montmoren-  
 tium Ducem, Occidaniæ Gubernato-  
 rem, pertrahebat: igitur hi tres die de-  
 cima Augusti scriptum quoddam con-  
 farcinantes illud promulgarunt, in quo  
 trium horum Auctorum nomine refri-  
 cabatur memoria omnium conjuratio-  
 num, quas Lotharingii, seu Guisi a tem-  
 pore Francisci II. ad invadendam sum-  
 mam potentiam, turbandam Regni  
 quietem, & regii sanquinis Principes  
 per calumnias, & falsas criminationes de  
 medio tollendos iniissent, postea autem  
 dissidia ab iis excitata recensebant, nec-  
 non unde fuerint exorta, quemque suc-  
 cessum tulerint, demonstrabant, mul-  
 taque in invidiam Guisorum adde-  
 bant, ut ostenderent, quibus artibus.

sc

Sæcul. XVI ac veluti gradibus eo pervenerint, ut  
A C. 1585 pacem, quæ ad instaurandos per ar-

morum licentiam collapsos toto Regno  
ordines a Rege vix tandem constituta  
erat, turbarent: insuper affirmabant,  
quod iidem Regem alienissimo tempore  
vi ad edictum novum, quo superioris  
revocabat, faciendum coegerint, ne  
que tamen id Regi, Reginæque Matr  
imputandum dicunt, cum istorum  
clementiam, & æquitatem longe ab  
iis turbis alienam esse constet, sed id  
adscribendum inquietabat malignitati  
quorumdam, qui ipsos obsident, pri-  
mosque hos motus artificiose apud eos  
extenuant, ne Rex necessariis adver-  
sus eos remediis se muniret; eapro-  
pter Navarrus, Condæus, & Montmo-  
rentius addebant, „cum ad nos præci-  
„pue, & ratione natalium, & mune-  
„ris necessitate pertineat, ut Regis, Re-  
„gnique curam suscipiamus, hinc com-  
„muni consensu de Lotharingicorum vi-  
„lentia protestamur: de cetero foederis  
„hujus auctores pro Regis, regiæque fa-  
„miliæ, ac regni hostibus habemus, qua-  
„les eos antea ipsem et Rex declaraverat,  
„diplomate ad regni curias misso, & in  
„iis promulgato, cujus mandatis ob-  
„temperantes statuimus, eos tanquam  
„perduelles, ac Patriæ proditores ar-  
„mis persequi, & contra injustam vim

„justis

„justis armis nos tueri, eo quod nos op- **Sæcul. XVI.**  
 „primere machinentur, si qui vero sunt, **A.C. 1585.**  
 „qui specioso religionis colore decepti,  
 „eorum partes hactenus secuti sunt,  
 „modo intra duos menses a protesta-  
 „tionis nostræ promulgatione ab armis  
 „discendant, & quietos se domi contine-  
 „ant, eos uti ceteros Majorum religio-  
 „ni addictos, qui factioni minime nomen  
 „dederint, in nostrum patrocinium re-  
 „cipere parati sumus.,, Divulgato hoc  
 scripto hi Principes bellum parare in-  
 tenti secesserunt, & quidem Navarrus  
 & Condæus in Aquitaniam, Montmo-  
 rentius vero in Occidaniam contendere-  
 rat.

### §. XII.

*Primus Præses, & Mercatorum Præ-  
 fectus ante suscepsum bellum a  
 Rege ad Luparam citati.*

Hoc edicto Parisiis promulgato popu- **Thuan. &**  
 lus hæreticorum excidium immo- **David t.c.**  
 dico Religionis fervore expetebat, ac **Mem. pag.**  
 palam Regem redarguebat, quod se- **292.**  
 mestris spatium, intra quod Protestan-  
 tes regno excederent, eis indulssisset:  
 horum igitur querelis permotus Rex  
 die undecima mensis Augusti Senatus  
 Præsides, Præfectum Mercatorum, at-  
 que Ecclesiæ Parisiensis Decanum ad  
 Luparam evocavit, huicque congressui  
 ipsum